

*Movodia
In funere*

**NOBILIS ET INTE-
GERRIMÆ MATRONÆ**

Dn. Lidumillæ de Kaprstein.

**CLARISS: DO-
CTRINA ATQUE RERUM**

*usu Dn. M. DANIELIS WRATISLAVVSKY, &c.
Vetustiss: Academiæ, quæ Pragæ Bohemorum
est, Carolinæ, quondam Professoris & deniq;
Civis in Veteri Praga Consularis, &c.*

UXORIS DESIDERATISS.

quæ

Anno Christi cl. lcc. xxxiv.

Ætatis suæ LVII.

XXIV. Novemb.

ab

Exilio hujus Vita

in

Cælestem Civitatem

Dresdæ

evocata est.

Marito, Amicis & Conterraneis

decantata.



*Clariss: Doctiss: atq; Consultiss: viro D. M. Petro à Jena & inclyta Reipub. & cive
statu Consuli meritis: Dno Patrono honorando JOHANNES ANA
THONIS PRAGENSIS, olim in Bohemia*

SORTES MEÆ IN MANIBUS DEI SUNT.



Ors mea nota Deo est, mihi qui dedit
Esse, facitq;

Vita instar bullæ dissiliente frui.

Sors mea nota Deo est, vitæ qui semina
confert,

Ut juvenis fierem, qui puer ante fui.

Sors mea nota Deo est, qui me de cœlibe classe
Exemptum Idalios suavit adire thoros.

Sors mea nota Deo est, mihi qui conjunxit amicam
LIDMILLAM in curis cor sociale meis.

Sors mea nota Deo est, casti quod pignora lecti,
Quæ thalamo in sterili nulla fuere, dedit.

Sors mea nota Deo est, primus dum furculus horti
Arescens nostri (est magna ubi Praga) cadit.

Sors mea nota Deo est, cum me diri aspera casus
Vincente in Czechiâ Cæsare, ferre jubet.

Sors mea nota Deo est, fortunas hostibus esse
Quod prædam est passus, quas rapuere, meas.

Sors mea nota Deo est, patriâ quod pellere terrâ
Ob veram voluit meq; meosq;, fidem.

Sors mea nota Deo est, voluit quod cum exsul oberro
Freibergæ hospitio tecta patere, meo.

Sors

Sors mea nota Deo est, morbos qui immisit acerbos
Uxori, & variæ tristia tela, Deæ.
Sors mea nota Deo est, gnatum dùm morte peremptã
Evocat in Patriam, post fera fata, novam.
Sors mea nota Deo est, nitidæ quod mœnia Dresdæ
Misenæq; Urbis visere jussit, agros.
Sors mea nota Deo est, Servestam deinde videre
Mens fuit, & tutos hîc petiisse dies.
Sors mea nota Deo est, reducem quod duxit ad altos
Fines, quos patrij, respicit ora, laris.
Sors mea nota Deo est, duris surgentia ventis
Terruerant animum quod mala multa meum.
Sors mea nota Deo est, Dresdæ cum commoror, atro
Quod mihi consortem funere Parca, rapit,
Et sic quæ fuerat cœlo rata dia voluntas,
Ostendit vires exseruitq; suas.
Eximit hoc vitæ cœno Deus ossa maritæ,
Spiritus ut secum cœlica regna colat.
Illata est Uxor tumulo, via publica mors est;
Quæ post Uxorem calce terenda mihi est.
Regna piis nobisq; simul gratissima, tandem
Nos capient positis corporis exsuvijs.
Quo nos Jova pater peccati mole solutos,
Transferat, & cœli sedibus ipse, locet.

*M. Daniel Vratislavvsky
maritus defunctæ.*

A 2

Dn.

Dn. M. DANIELI VVRA-
TISLAVVSKY, &C. CON-
SOLATORIUM.


DRiscus ab antiqua nascentis origine mundi
Mos homines inter, pacta ferire, fuit.
Ut facias facio, ut des do, facio ve, frequenti
Sunt usu in quavis nomina trita domo,
Hic aram videas, hic cæsa symbola porcæ,
Hic testes, hic thus, hic nova liba, merum:
Sunt dici quæ æterna velis, quæ sancta vocari,
Quæ percussa, ingens sit violare nefas.
Sanctius at nullum est, nullum devinctius illo
Quod feriunt casta foemina virq; fide;
Hoc duo corda, animi duo conjunguntur, habentq;
Vincula quæ rumpi non nisi morte queant.
Huc DANIEL mihi testis ades, (mihi testis adesset
LIDMILA, ni constet Te mihi teste fides.)
Teq; illamq; inter stetit inviolabile pactum,
Cui rumpendo impar Sylla Neroq; fuit,
Pactum, post multos ægré quod fata Novembres,
Et Mors post quintam solvit Olympiadem.
LIDMILA erat rerum comes indimota tuarum,
Fortunæ tecum ferre parata vices.
Namq;, (quod abstraxit natos á patribus, & quod
Juri & naturæ res inimica fuit,)

Cum

Cum pia Bojemis depellebatur ab oris
Relligio, certos non habitura Lares,
LIDMILA cognatá tecum decedere terrá
Maluit, á purá quám resilire fide:
Nec patriam, nec opes tanti faciebat, ob illas
Ut fugeret cultus desereretue pios.
Nec patriam, nec opes tanti faciebat, ob illas
Falleret ut pactum connubiale Tibi.
Ergo per horrentes saxis silvisq; recessus,
Et per aquas tecum continuavit iter.
Scit Freiberga, potest & idem Zervesta fateri,
Sudeti, & Czechicá nobilis Albis aquá.
Non sic non omnes nostrá de gente maritæ
Servarunt castá cum pietate fidem:
Sunt illas inter quædam fideiq; DEIq;
Oblitæ, Latio dedita turba Jovi,
Quæ ne quid desit ventriq; gulæq;, maritos
Migrantes patriâ deseruere suos.
Has Tua confudit, DANIEL carissime, vespas
Uxor, cui nusquam Te sine vita fuit:
Hæc est quam, tristes quia non potuere procellæ
Eripere, eripuit trux Libitina Tibi;
Inde tui luctus, singultus inde frequentes,
Et lacrymis passim rorida tota domus.
Mitte tamen manes luctu turbare quietos
Immodico: gravis est manibus iste dolor.
Sat tecum vixit, dum vixit LIDMILA; Christo
Ut tandem vivat ne prohibere velis.

Quam Tibi servavit, memori sub pectore serva,
Tempore depercat ne tibi forté, fidem.

M. Paulus Stransky Z.



Carmen Consolatorium

CLARISSIMO Dno. M.

DANIELI VVRATISLAVVSKY,

&c. olim in celeberrima, ve-

tustissimaq; Bohemorum Academia, Profeflori, &

post, in celeberrima Palæo-Pragensi Republica, Civi

Consulari, obitum suæ dilectissimæ Conjugis

xxiv. Novemb; Anni M. DC. xxxiv.

lugenti. illa ipsa die obitus,

oblatum.



NDANIEL nos ut fortuna volubilis arctet!

Nobisq; ut tetricas suggerat illa vices!

Exilio pressis majus damnum allicit, atq;

Quos premit, immiti hos nunc quoq;

falce gravat.

Quattuor anté annos fueram ista expertus abundé,

Spem citra, similes perpetiundo Vices.

Dum LIDUMILA mihi conjux suavissima, Fati

Ablata est propera, postq; sepulta, nece.

Tu

Tu nunc in luctu DANIEL Clarissime, nonne
Per sentis similes Fato id agente, vices?
Qualis mi fluxit, quæ vel Sors aspera, talis
Frater Amante est nunc obvia facta tibi.
Morstibi LIDMILLAM, quâ nil tibi dulcius ante
Exitit, in casses surripit atra suas.
Jam tibi, quam vivens [meministi] præstitit, à te
Divulsa adsvetam ferre negabit opem.
Est tibi GNATORUM dulcissima Biga superstes,
Hæc, scio, delicias quæis recreerè, feret.
Tristanti autè mihi favit post nubila Phœbus,
Ut tibi sic faveat pectore & ore precor.

ETEOSTICHON.

*Blis Deno exortV qVartogVe sVb aXe NoVeMbrIs
VVratsLaVlo rapta est VXor ab orbe Viro.*

à Georgio Moravetio olim
Cive Melnicensi.

Clariss: atq; Doctiss: Viro D.
DANIELI VVRATISLAVVSKY, &c.
D. Amico multum amando ac honorando;
In Obitum dulciss: Conjugis LIDU-
MILLÆ à KAPRSSTEIN,
&c. Condolentiæ ac
Amoris ergo
scripsit.



Uæ Tibi morte cadit, *Vir Præstantissime*
Conjux,

Hæc pia & hæc prudens, casta, pudica,
cadit;

Hæc eadem Mihi nota fuit puerilibus annis,
Ævo eadem vergens hæc Mihi nota Seni,
Parætas, parconditio, vicinia concors
Nos junxit, junxit non simulata Fides;
Mi Pater illius, Sancto mandate Senatu,
Ætatis teneræ tempore Tutor erat,
Hanc dum Tu lacrymis, querulo dum murmure, de-
Nonne Mihi lacrymas illacrumando cies? (fles,
Tu dulcem Sociam luges, ego lugeo Civem,
Dulcem, utriq; pii causa doloris adest:
Sed gravior Tibi, Consortem Deus optimus illam
Nam fecit vitæ, plenus amore, tuæ,
Hæc donata Tibi cælesti munere quondam
Obtigit, inq; tuo sola locata sinu,
Cum qua mellifluæ traxisti tempora vitæ,
Concordes peragens lætus ovanq; dies.
O fortunatum tali Te Conjuge, verà
Quæ coluit verum cum Pietate DEUM!
Quæ gratis coluit Te digna Marita, Maritum
Obsequiis, coluit Teq; Tuosq; Fide;
Hinc fluxère animi multo cum fœnore dotes,
Fluxit virtutum gloria, fluxit honos,
Hinc pudor, integritas, fluxit, fluxère beatæ
Pacis & in Socio gaudia mille Toro,

Hinc

Hinc puræq; preces, duris Constantia rebus,
 Hinc verum ac amplæ, provida cura, domus,
 Hinc bonitas, hinc & benedictio dia JEHOVÆ,
 Æterni Spes hinc indubitata Laris:
 Quem quia anhelabat votis ardentibus, hocce
 Exilio cessit, cessit amata DEO,
 Cessit & hæc Patriæ terrestria limina linqvens
 Obtinuit Patriæ culmina certa Polo,
 Hic ubi sidereæ fruitur jam lumine vitæ,
 Et manet Angelici pars manifesta chori.
 Pone igitur tetrum, mœsto de pectore, luctum,
 Exemplumq; pius, fac imitère meum,
 Sic equidem moriens divinos carpit honores,
 Nec perit illa Tibi, sed præit illa Tibi,
 Et quibus est donata bonis, ornataq; donis,
 Mundanis longè sunt potiora bonis,
 Quæ redimi nequeunt auro, nitidisq; Lapillis,
 Sed vincunt omnes totius Orbis opes:
 O jam lætetur, post tot suspiria, post tot
 Ærumnas, clades, multa pericla, dolos.
 Post tot bella, faces, post tot dispendia rerum,
 Atq; animi horrores, perpetuasq; cruces,
 Lætetur summè placidaq; in pace quiescat,
 Quam non æternum terminet ulla dies.
 Nosq; expectet ibi, dum venerit horula mortis,
 Venerit ac vitæ, meta suprema, brevis:
 Quò citius veniat, veniat Te CHRISTE, precamur,
 O posita veniat, CHRISTE benigne, morâ!

B

Tum

*Tum junctis animis, TIBI juncti suaviter omnes,
Pangemus nostro, dulce melisma, DEO.*

Iohannes Agathonus Pragensis,
olim Civis Curtembergensis.

Fugó adeò Mors heù solito grassata furore,
Exacuet, quèis nos fors notat orbe, vices,
Dissociàs fidos, dulcissima pectora, amicos,
Quos jugi nexu mutuus aptat amor:
Conjugibus spoliat thalamos, & prole parentes,
[Ut taceam propriæ vulnera cruda domus.]
Te quoque Castalidum DANIEL laus magna catervæ
Impetit, & votis insidiata tuis
Eripit exsilij sociam vitæq; maritam,
Atq; domus fulcrum subruit omne tuæ.
Solveris in lachrymas meritò. *Quis flere maritam*
Intempestivum censeat officium?
Nempe tibi & soboli datur irrevocabile damnum,
Nunc tua quæ fuerant gaudia, pulvis habet.
Sed ne te nimium lachrymis impende, nec ultra,
Imperat hoc pietas, busta lacesse, modum.
Jam LIDUMILLA soli superans luctamina, quæ spe
Semper anhelabat, digna brabeia capit.
Non obit, ast abiit, teq; antegressa, potitur
Delitijs vultus CHRISTE benigne tui,

Quin

Quin nec in auspicijs primæq; cupidinis igne
 Rapta tibi, vitæ fessa reliquit humum,
 Quæ tot Olympiades tecum consuevit, amanâ
 Prole tuos toties auxit & illa lares.
 Mitior est olitor, si fors venti impete caulis
 Conteritur, fruticans quem prope germen alit;
 Tu quoq; nunc DANIEL doleas ut mollius, in qua
 Est soboles matris sit redivivus amor.
 Felix illa polis ovat eluctata tumultus
 Mundi, que is ultor nos DEUS exanimat.
 Cui sua vel pelagum aut Syrtis post terga relinquens,
 Attigit optatum salva carina vadum.
 Nos genus in lachrymas natum, (DEUS obtruat omen)
 Omne nefas, damna & deteriora manent.
 Nulla fides, nec fas terris, amor alget honesti,
 Oppressiq; boni cum pietate jacent.
 Quis non hac facie rerum hinc emigret & orbis
 Quisquilijs cœlum præposuisse velit?

Condolentiæ ergo

P.

Stephanus Stefecius à
 Colodieg. M.D.

πολιτεῖα nostrum in cælis.

Dispersi miserâ jactamur forte Boëmi,
 Exsilio humanas discimus atq; vices.

B 2

Nil

Nil mundi amplivago sibi jam constare theatro,
Et nos & reliquos lubrica vita docet.
Actum agimus, verè actum; quem quia nemo peregit
Haftenus; haut falsum nomen habere puto.
Scilicet innumeras curas & pensa laborum
Haurit, munia qui qualiacunq; facit.
Ut benè succedat vel quod sperare negatum est
Non nemo votis discupit usq; suis.
Hinc nunquam satis est vitali vescier aurá
Cum quivis quid agat se sat habere putet.
Sed mors arbitrio nostro haut contenta, solutos
Curis & vitá sub sua jura trahit,
Incautos multos, fungentes munere multos,
At qui perfunctus sit benè, vix quis erat,
Defunctos igitur lacrymis conspergimus udis,
Sæpius & fletus nescit habere modum.
Ah quam magna hominum in fectò quasi deficit ævo
Pars, vitá infumos sic abeunte leves!
Exsiliij locus est mundus; non angulus unus,
Somniat, hinc Patriam qui putat esse suam.
Turbato hoc igitur qui sat vult vivere mundo,
Ad Patrios gestet quiq; redire lares;
Qui vult cæptorum defungi mole laborum
Et rigidæ cautus jus superare necis.
Maturè in cœlis versari assvescat, ametq;
Quem laudat vitæ pagina sacra modum
Hunc Tua si didicit (didicisse ut spero, nec erro)
Ludmila, quod didicit si πολιτευμα tenet;

Mune.

Munere defuncta est; caelestem nacta coronam
Jam Tene doleas per pia fata monet.

M. Iohannes Chocholius,

Amantis: Dn. Daniel.

Exilium passos Christi pro nomine quondā
Credis in Exilio desperisse suo?
Mirum! quid mirum? rapiebant sy dera
passos,

Quos non est tellus ausa subinde pati,
Chæmon Exul, cumq; illo deniq; plures
Sunt rapti in superos, sed sine morte, polos:
Scilicet illa fuit, quam miror, causa quod ultró
Plures Exilium concupiére pium.
Mirandam Exilij faciem! cur horreo pelli?
Cum citiùs patrias, Exul adibo, domos.
Parcite Vos rapti in cœlos, sine morte, quodæque
In cœlos rapti sint, sine morte, pij!
Quod quoq; desperiit Daniel, tua Costa, Magister,
Exul enim ex oculis, est tibi rapta Tuis.
In cœlos rapta est: Cœli sunt Patria nobis,
In terrâ donec vixeris, Exul eris.
Quodq; meus quoq; desperiit, Ludovicus! Amorq;
Ille meus! quondam delictumq; meum!

In

In Cœlos mihi raptus, ovat, Christumq; Magistrum
Audit, & Angelicos lectitat ille Libros.
Et pro more suo pulsat sua Nablia, jamq;
In cœlis longè dulcius illa ferit,
Ponè illum rapiar voveo, solviq; peropto,
Namq; odij stimulis invidiaq; premor:
Quid melius queat Exulibus contingere? quàm si
More illo veterum desperiisse queant?
Ecquis enim meliora queat sperare? videmus
Tempora perpetuùm deteriora sequi,
Sed quoq; Spes pereunt quæ Nos animare solebant,
Quæ si dispereant, dispereamus, Amen!
Hæc ego: sed noster fundet tibi plura Moravvek,
Qui quoq; nunc moris fundere Carmen habet.

Dedi raptim mane $\frac{1}{2}$ Decemb.

M. Georgius Colfinius.

Ad
VIRUM CLARISSIMUM,
& multijugâ eruditionis Su-
pellectile instructissimum, Dn. M. W rati-
slawsky, &c. desideratissimum vitæ Bonbûptov
suspirantem, Alloquium,
Simplici stylo, sed animo candido fufum,

Viris

Vitis amata tibi, V Vratislavvsky docte Ma-
 Aruit, ut floris frigore læsus honos, (gister,
 Partē animæ tibi [proh!]duri violētia Fati
 Abripit, hęc sine tu pars mutilatā gemis,
 Continuisq; ululans crucias tua corda querēlis,
 Nec sine parte animæ vivere dulce putas.
 Næ meritò; sine Parte Animæ, sine Compare Vitæ
 Vita peregrino limite plena metueſt,
 Attrahit Exſulium ſecum mala plurima, Conjux
 Fert tecum illa, tui Melq; Merumq; mali.
 Sis Vir, sis Doctor, ſine Coniuge, Coniuge dolci,
 Quid niſi Decoctor? quid niſi Timon eris?
 Te quoq; jucundā privatū compare Vitæ
 Hęc mala (quod doleo) multiplicata prement.
 Vera equidem refero, ſed ne unguis in ulcere dicar,
 Lenimen curis hoc ſuperaddo tuis:
 Parce quiritatu tua pectora rodere multo,
 Imbribus aſſiduis parce rigare genas:
 Non potis es Lacheſin lacrumis inhibere tyrannam,
 Nil pietas, Lacrumæ nīl ſilicem huncce movent.
 Sionii Regis Chriſti color aulicus eſt Crux,
 Hanc tibi Diſcipulo, Rex dedit ille notam.
 Impoſita hęc humeris Crux eſt, moderante *Iehova*,
 Cœlitus impoſitum fer patienter onus.
 Quod te ferre jubet, bonus hoc quoq; ferre iuvabit,
 Omne malum facilis, quem iuvat ille, feret.
 Non potuit Chriſtus Viduarum ponere curam
 In Cruce, qui poſſit dememiniſſe tui?

Pars

Pars animæ tibi rapta tuæ, sed reddita Christo,
In quo animat Virtus vis animæq; tuæ.
Huic uni vivis, Conjux tua vivit in illo,
Ablatam dicet quis, nisi mentis inops?
Insuper est dulci sua *Gloria* reddita Viti,
Elyfias inter palmiferasq; Rosas,
Major honos illi, tum *Gloria* vera redibit,
Perpetui quandò tempora Veris erunt.
Hæc volve, In Scyticum portare Aquilonibus æquor
Mox lætus trades tristitiam atq; metûs!
Sed quorsum hæc? tu Pieridum Phœbiq; Sacerdos,
Divitias Phœbus cui dedit omnigenas,
Divitias, quarum nunquam metuenda ruina,
Hinc Panacæa mali. Garrula Musa file!

Iohanne Kochanio de Prachow
Straconicensi, Christi Exulis
Comite, &c.

Um Tibi metra darent [meministi forsan]
Amici
Ad tædas, DANIEL, tum Neo-nym-
phe, tuas.

Multa Tuâ pariter pro Coniuge vota dederunt,
Ut Pylios Tecum viveret illa dies
Annuit annosus partem Deus, ac Tibi longas
Contulit, & porro conferat, oro, moras.

Abnuit

Abnuit at partem, nam Te præcesserat illa
Ad superas, tristi morte vocante, domos.
Res miseranda Tibi Charisq; videtur Amicis,
Quòd Comes Exilij concidit apta Tui.
Hinc fit ut assiduas gemines in corde querelas
Et rigidas Parcas duraq; fata voces.
Sed benè habet, finem quod cernit in Axe, malorum
De super ac nostrum commiseratur onus.
Tu fortè ipse etiam, ceû nunc sunt tempora, velles
[Si CHRISTUS vellet] Cœlite Pace frui,
Patria sed pro Te tot jam spoliata columnis
Exorat summum supplice voce DEUM:
Ut priùs Æthereas quàm scandas arduus Arces
Grata renascenti des anabathra Sibi.
Mitte graves igitur qui Te afflixere dolores,
Complacentq; Tibi quæ placuere DEO,

Tobias Hauschkonius.

Insidet humanis ingens Concordia mem-
bris,
Idemq; incunctis artubus ardet amor.
Intima secreti dum gaudia pectoris intrant
Affectus similes cætera membra bibunt;
Lingua canit, vultus rident, & brachia plaudunt,
Pes tentat molles subsiliendo Choros.

C

Contra

Contra vel minimus casu dum læditur artus,
Omnia perreptat protinus ossa dolor;
Non secus atq; lyræ vel molli pollice tacta
Excitat in toto corpore chorda sonum,
Scilicet hæc eadem nutrit Concordia iunctos
Conjugio, ac idem sensus utrumq; tenet;
Compatitur conjunx charâ patiente maritâ,
Si gaudet, gaudet; si dolet illa, dolet.
Nil mirum, unum cor cum sit, mensq; una duobus,
Nec duo jam, unum sed corpus, & una caro.
Jure igitur tristi sublatam morte maritam,
Quæ fuit altera Tu, Vir venerande, doles.
Jure doles; quis non dissecto corde doleret?
Quis non dimidiâ parte cadente sui?
Altera pars etenim hæc animæ, pars altera cordis,
Et fuerat lateris costa venusta tui.
Fida hæc adversæ consors sortisq; secundæ,
Certior hac alter nullus amicus erat.
Ridente hæc Phœbo, hæc atrâ caligine recto
Sola fuit perpes corporis umbra tui.
Sed jam firmata hæc jucundo junctio nexu
Inflexâ duræ est falce resecta necis,
Pars, unde orta fuit, terræ mandata quiescit,
Pars mærore gravi semisepulta manet.
Et quamvis, nunquam expertus, non mente dolores
Assequor urentes pectoris antra tui,
Non tamen ignoro, super atrâ morte maritæ,
Morte ipsâ iuctu te graviore premi.

Funera

Funera consortis siquidem sunt vulnera cordis,
Quæ nequeat medicam Chio adhibere manus.
Vulnera Chirurgis quoq; desperata peritis,
Et quæ sola valet dextra levare Dei.
Huic igitur te curandum Vir Magne remitto,
Hic recreet solito Saucia corda modo.

*Daniel Vrsinus Neo-
Pragenus.*

In obitum
PIÆ ET HONESTÆ MA-
tronæ, Lidumillæ, &c. Claris-
simi & Doctissimi Viri D. M. Danielis Wra-
tislawsky, &c. Conjugis dilectæ.

Dum fugit à Patriâ Lidumilla agitata
procellis
Exilij, Vitæ stamina firma manent.
Ast Czechiam versus dum Carbasa dirigit;
Auftris,
Mutatis, Vita stamina Parca secat.
Scilicet hic mos est Parcæ, parsisse misellis;
Et fortunatas frangere vecte fores.

C 2

Felix

Fælix, qui talem conatur ducere Vitam,
Ne metuat rigidæ spicula dira Necis!
Exitus huic Vitæ Vitæ potioris Origo est;
Fluctibus hic victis littora tuta tenet.
Fælix, qui spernit Patriam pro nomine Christi!
Hunc Patriæ veræ limen adire juvat,

Debitæ Condolentiæ
ergo scribebat

A. Bechtlerus L. B. à Stubenberg p. t. Informator.

NOBILIS ATQUE HONESTISSIMA MATRONA, Dn. Ludmilla Vratislavvska à Kaprstein, Amplissimi atq; Consultissimi Vivi Dn. M. Wratislawsky, &c. quondam Inclytæ Veteris Urbis Pragensis Civis & Senatoris honoratissimi, Uxor carissima, Dresdenæ in Exilio An. quo LVDMILA te ARX IESV & PAX Hæc sine beat. xxiv, i xbr. styl. vet. pie defuncta, & honorificè sepulta; sibi ipsi de semperpiterna beatitudine Cælesti gratulatur.

Inveni

Inveni Patriam veram, omni parte bea-
tam,
Lux ubi pulchra nitet, Pax ubi læta
viget.

Inveni Patriam, Freiberga & Dresda valete,
Misnia Clara vale, Boemia nigra vale.
Inveni Patriam, Pragensia tecta valete,
Me Cœli lætam Regia pulchra beat.
Exul decedit patriam felicius extra
Papicolam, quàm si viveret in patria.
Triste Solum natale mori felicius extra
Contigit ecce mihi, quàm periisse domi.
Jam patriæ casus, perituræ non cruciant me,
Inveni ecce aliam, sed sine morte, domum.
Jam scio quâ cæleste decus dulcedine Cœli
Cives exhilarat, jam quoq; me recreat.
Terricolas quæ perturbant, jam non cruciant me,
Cura, metus, tristes exilijq; vices.
Passim quæq; timent Urbes incendia, me nîl
Terrent, nec Martis prælia: Pace fruor.
Libera sic abeo, Daniel, velut ore Leonum,
Care Marite vale, Cara vale Soboles.


*M. Tobias Adalbertus Vod. olim
Neo-Pragæ ad S. Clement.
Past. jam Dresda exul.*

Apoca: XIV. ꝛ XIII. Beati ab
hoc tempore mortui ij, qui
Domini causâ mori-
untur..

IN Domino si quis moritur, bona gaudia
paciſ
Is capit æternæ, nec solet eſſe miſer.
Ad requiem pergit, per quam ſine fine
potiri
Optatis debet, nec ſua miſſa queri.
Non deſſe multis ſublata morte Maritam
Hæc carpit paciſ gaudia namq; novæ.
Non eſt amiſſa, aſt ad veram miſſa quietem
Cujus in æternum commoda vera leget.

Johannes Lunacius Tuſtenus.

F I N I S.




Colof. 3. V. 3. & 4.

Vita nostra abscondita est
cum Christo in DEO: Post-
quam autem Christus vita il-
la nostra, manifestus fuerit,
tum & nos cum eo pate-
fitemus gloriosi.

(:)





Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







Farbkarte #13

B.I.G.



205



ET INTE-
 MATRONÆ
 le Kaprstein.
 S: DO-
 QUE RERUM
 RATISLAVVSKY, &c.
 æ Pragæ Bohemorum
 Professoris & deniq;
 Consularis, &c.
 DERATISS.

loc. xxxiv.
 LVII.
 vemb.

Vita
 civitatem
 læ
 est.
 Conterraneis
 ta.



Petro à Jena & inclyta Reipub. &c. &c.
 no renovando. JOHANNES AUA
 Bohemia

